

**ACTA SANCTORUM JULII TOMUS
TERTIUS, DECIMA DIES.
DE S. CANUTO REGE ET MARTYRE
OTTONIÆ IN FIONIA DANIÆ.
HISTORIA VITÆ ET PASSIONIS**

**Auctore Ælnotho monacho Cantuariensi.
Ex Ms. Thosano, collato cum editione Meursii.**

**PROLOGUS
Ad Nicolaum Regem.**

Principum Duci præcipuo, nobilium Primicerio, patriæ Patritio, pio, invicto, magnifico, Daciæ provisorio serenissimo, tam specie quam & nominis dignitate Illustrissimo Regi Nicolao, [Nicolao Regi, S. Canuti fratri hanc narrationem dedicat auctor.] divini officii ministrorum infimus Ailnothus, Cantia Anglorum metropolitana urbe editus, jam vero Daciæ partibus quatuor quinquenniis & bis fere binis annis demoratus, hostium vires virtute divina subvertere, contumacium colla potentiæ pede proterere, regni jura decenter disponere, pacis securitate perfrui, & post decursum temporalis imperii, sempiternæ felicitatis beatitudine ditari.

[2] [Regia severitas clementia condienda.] Clementiam magnitudinis gloriæ vestræ sicut protervus quilibet & imprudens seu vecors detestatur, sic providus quisque & probitatis executor, tam præsentia quam & exsequencia simul moderationis dispiciendo discretione, non modo laudibus, verum digno venerationis affectu extollendo prosequitur. Judicem enim universorum, quem Rex propheticus & opilionum fortissimus, justum & fortem denuntiat, eundem etiam patientem & longanimem esse

declarat. Et cujus honorem judicium diligere insinuat; ei se misericordiam cum judicio decantare manifestat. Cujus vestra excellentia pietatis modum, pro modulo mortalibus concesso exequens, & justitiæ severitati mansuetudinis lenitatem præferens, ejus ob hoc, ipso opitulante, gloriæ compos efficieris; cujus hic vicem tam dignitate quam & nominis participatione exequeris. Ipse quippe potentes de sede dejiciens, humiles & in præsentī exaltat & in perpetuum sempiternæ beatitudinis honore magnificat. Illius, ut credi potissimum est, gratia, pretiosus frater tuus germanus Canutus, jam indubitanter beatus cognominandus, ex apice temporalis imperii gloriam nactus decoris perpetui, sicut inter mortales regni gloriosus excellebat potentia, sic jam beatis spiritibus associatus, gloriosior virtutum effulget magnificentia.

[3] [S. Canuti gesta a se descripta] Cujus ego præsumptuose gestorum simul & certaminum insignia explicare aggressus, imperitiæ linguæ infacundiæ ignosci depono; ut si quid inane seu veritatis vacuum pondere, visus aspectantium offenderit, non superducto protinus supercilio Pharisæica condemnetur invidia, sed sinceræ discretionis articulo exterminandis sublatis, inserantur probabilia. Siquidem mordacis invidiæ morbum, qui versus exiguitatem imbecillitatis vestræ interdum solet assurgere, haud modo extinguendum, immo expurgandum autumo, cum eventilatum cineribus ignem frustulis appositis, fumivoma licet flamma obfuscante, incendiis aptare contendo. Sed soricem in situla salientem, gallus atria perlustrans, & sub tecti culmine anhelitu raucisono aëra verberans pertranseat, & cum comparibus adacutis calcaribus bellum certaminis ineat. Neque enim ego Danaum classes Dardanis excidium inferentes edissero: non acies Hectoreas, Myrmidonum armis, umbonibus objectis, insigniter obviantes commemoro: sed quæ de gestis religiosi principis, & Deo dilecti Martyris, probabilibus personis

utriusque sexus, & ordinis referentibus, agnovi; religiosi habitus viris Jesu Christo ibidem insignique triumphatori deservientibus obnixè suffragantibus, posterum memoriæ reservanda, apicibus contradidi: ea pietati majestatis vestræ repræsentans, ut & de tanti germani glorificatione plenius exhilaretur, & ad ejusdem virtutis insignia æmulanda, superno provisoro aspirante, ardentius incitetur.

[4] [petit regia auctoritate defendi.] Meis igitur cœptis, pacis simul & patriæ provisor, solita pietate faveto, & qui de opinatissimo progenitore vestro, gloriosorumque germanorum tuorum temporibus, ad hæc usque præsentia magnificentiæ vestræ tempora colligendo perstrinxi, regio dignare confirmare decreto; ut habeat dignitas regia, tam proprii quam & præcedentium exercitii monumenta posteris deferenda. Ambiguitatis vero scrupulum de pretiositate sanctitatis hujus, de quo operis nostri summa est, Dei hominis a pectoris sui secreto fidelis quisque removeat, qui Dominum omnia posse, & antequam efficiantur prænosse ac prænuntiassent, non hæsitat. Qui enim Angelum superbiæ ob extollentiæ contumaciam de excelsissimis dejecit; ipse humiles & quietos, ejusque judicia metuentes de infimis ad superna perducit: & qui de silice durissima, Aaron virga percutiente laticem produxit; ipse sibi de Rege Martyrem, de Principe terreno, regni cælestis consortem elegit. Hæc autem qui Omnipotentem peregissee dissimulat, ne & a divinæ repromissionis solo exterminetur, pertimescat. Petro quippe attestante, in omni gente qui timet Deum & operatur justitiam, acceptus est illi: & quia potens est Deus de lapidibus suscitare filios Abrahæ, cur ex gente licet durissima, Catholica tamen fide insignita, Principem religiosum, veritatis & justitiæ executorem, Sanctorum in supernis collegam non dignaretur efficere?

[5] Sed & Deus in illo potentiae suae clementiam peregrisse credatur, [Gratulatur Regi fraternam gloriam] & patrocinio terrigenis proviso debitae venerationis obsequio ab universis magnificetur: lætare ergo Rex insignissime, tanta fratris adornatus glorificatione: exulta, confidens, apud Deum advocatum habere, in cujus hic regni solio, eo concedente, meruisti residere. Gratulare illum cælis evectum, Abrahæ sinu reconditum, Angelorum socium, Martyrum concivem effectum, Beatorum choris interesse, Dei vultum præsentem cernere, gloriam majestatis inspicere, & hoc jam interventus, ope divina peragere, quod hic regia quondam functus potentia non valebat perpetrare. Visu namque orbatis lucis respectum condonat, cutem Lazarica tabe putrescentem expurgat.

*Obstructas aperit aures, & famina reddit,
Dum linguæ nervos, gressusque resolvit habenas:
Effugat & febres, cunctos pellitque dolores:
In Sanctis quoniam Deus est mirabilis ipsis,
Virtutes, signa faciens post inclyta gesta,
Ut cælo clari fiant, saeclo manifesti.*

[6] Tanti igitur germani pignora, regia condignis adornet donis potentia, [suadetque ut sepulcrum ejus ornet.] ædis sacræ decus amplificet, spiritualis normæ viros cultui ibidem divino jugiter insistentes solidando corroboret, ut pro temporalis suffragii adminiculo supernæ remunerationis in æternum potiaris præmio. Ejus quoque intercessionis obtentu hostium tibi vires subjiciantur, inimicorum cuneus attenuetur, regni vis consolidetur, pacis securitas confirmetur, sospitatis integritas tribuatur, morbus ac pestilentia pellantur, commoda quæque convalescant, incommoda decrescant, & desidui longæva imperii meta decursa, ad superna transmissus, in regia glorieris æterna. Vigeat & valeat in æternum pietas vestra, & divinæ miserationis respectu regiæque sublevationis opitulatione sustentetur imbecillitas nostra.

CAPUT I.

Præmittuntur varia de recepta serius a gentibus Aquilonaribus fide Christiana, de victoriis & gestis Suenonis, S. Canuti parentis, & Haraldis fratris.

Regna Aquilonis in remotis mundi partibus abdita, longe diuque paganis tenebantur ritibus dedita; [Aquila sero fidem recipit; quare?] quousque ea de profundo erroris & infidelitatis divina extraxit clementia. Nam postquam fere omnia occidentis regna, quæ Julius Cæsar, magni quondam Pompeii gener, Ausonio subjecerat imperio, Christianis colla subdidere legibus; nationes illæ, quæ ex adverso latere Francorum seu Gallorum Saxonum, qui Aquilonaribus consistunt partibus, Suechi videlicet & Gothi, Normanni atque Isonii, tanto serius signa fidei susceperunt, quanto illuc fidei doctores, tam pro victus rerumque penuria, quam & pro barbarorum feritate & innata duritia, magni pendebant divertere.

[8] Dani vero, qui Gallis Saxonibusque viciniore existere videntur, [Dani priores ceteris conversi, manent constantes in fide.] idcirco gentibus prænominatis potiores habentur; quod & ipsi solum necessariis utilius usibus incolunt, fidemque Trinitatis ante quam illi cognoverunt, isti susceperunt; finesque suos Regum nobilium vi & consilio, tam Præsulibus quam & divini officii ministris, ecclesiis Dei ibidem indies circumquaque adactis, nobilitaverunt: fidemque hactenus susceptam, huc usque fideliter venerando servaverunt. Ut enim quiddam ex antiquorum relatu contingam, ex quo venerabilis memoriæ Pontifex Poppo Christum Dei filium verum, & solum Deum fore evidenti indicio declaravit; fidem, quam gens Danica suscepit, in hodiernum illibatam conservare & custodire, Jesu Christo favente, contendit.

[9] Suechi vero & Gothi, rebus ad votum faventibus, [Sueci in fide inconstantes dicuntur, qui S. Eskillum occiderunt.] prosperisque succedentibus, Christianitatis fidem nomine tenus venerari videntur. At ubi adversitatis aura, sive terræ infertilitate, aërisve siccitate, aut procellarum densitate, seu hostium incursione, vel ignis adustione inflaverit; fidei religionem, quam verbotenus venerari videbantur, non modo verbis, verum rebus, Christianorumque fidelium persecutionibus insequuntur, atque suis finibus omnino expellere conantur. Unde piæ memoriæ Eskillius Episcopus, ex nobilissimo Anglorum orbe deveniens, ibique Euangelium fidei feris & indomitis gentibus denuntians, pro veritatis testimonio barbarorum feritate & vesania transitorio sequestratus seculo, Angelis collætantibus, superna adiit victurus perpetuo.

[10] Aquilonales autem qui ob situm regionum Normanni dicuntur & Isonii, [Norwegi & Islandi ab antiquis ritibus difficulter recedunt.] qui etiam ob hiemis ibidem vehementiam & longævioris glaciei seriem, Glaciales tam patria quam & Danica & Normannica lingua nuncupantur, ritum quidem Christianæ religionis observant, sed pro terræ infertilitate victusque exiguitate, eamdem fidei religionem tam solennibus jejuniorum diebus, quam & quadragesimali tempore illicitorum esu ciborum commaculant. Ab Aquilone enim, ut per Prophetam Dominus commemorat, pandetur malum super faciem universæ terræ. Idcirco nationes istæ, quas commemoravimus, antiquæ infidelitatis obstrictæ frigoribus, vix umquam ita fervore succensæ fidei stabilitate solidantur, ut infidelitatis nexibus penitus absolvantur: dum & fidei Sacramenta, quod mortalibus inconcessum est, humanis conantur rationibus perstringere, legesque suas Dei justitiæ præponere, & ab antiquis sese ritibus, sive religiosis sive irreligiosis, divini respectu timoris, pudori deputent abstrahere.

[11] [Votum scriptoris.] Verum ne his diutius immorer, quidquid seu illis sive cunctis in divinis perficiendis deest mandatis fidelibus, exurgente Aquilone, id est frigore corporis & iniquitatis effugato, veniat Auster & perflet hortum Ecclesiæ fidelium, ut fluant aromata illius: veniat scilicet calor gratiæ spiritualis, & influat in corda credentium, ut veræ fidei professione operumque fragrantia redundante, luceat lux nostra coram hominibus, id est mundi amatoribus, & non superna sed caduca sapientibus, & glorificent patrem nostrum qui in cælis est. Et ut proposita congruenter prosequamur, favore nos ut essemus creantis, & ut reformaremur recreantis, adjuvemur.

[12] [Sueno magnus Rex Daniæ, victis regni æmulis,] Post multos igitur bellorum incursus, certaminumque conflictus, inter Magnum Aquilonalium & occidentalium, & Suenonem, Magnum etiam nuncupatum, orientalium & Australium Ducem, acerrimos utrosque, commissos; postque memorabile initum prælium inter Heraldum Coma pulchrum & eundem Swenonem de principatu Daciæ habitum; Magno quidem via universitatis egresso, & Heraldus Daciæ terminis exturbato, Sueno Magnus nativi soli principatum obtinuit: & quoad vixit tempore, nobilissime rexit: qui veluti famosus ille Troianorum quondam heros inclytus Priamus, speciem dignam præferens imperio; cum secundum divinum interpretem, sapiens corde esset & fortis robore, gentem suam tam divinitatis auxilio, quam & robore & prudentia consilii sui ab extraneorum incursione gentium strenue protexit; & pace circumquaque reddita, armis eam & viribus pluribus per circuitum gentibus terribilem effecit.

[13] [cultum divinum promovet.] Sed & quia liberalium non expers erat studiorum, & divinarium non inscius lectionum, religionis, cultum evehere non neglexit: imo Sanctorum ecclesias, in quibus erant locis, regali

auctoritate provexit, & in quibus hactenus non fuerant, erexit: clerumque ac pontifices tam adaugere quam & venerari operam duxit. Orphanis & viduis, egenis & advenis, & maxime pauperibus clericis, regalibus succurrebat stipendiis: & ex iniquo mammona hos sibi amicos efficere satagebat, a quibus se æternis intromittendum tabernaculis præsumebat. Et ne omnibus immorer: mitis erat parvis, atrox asperque superbis; illos mulcebat clementia, istos premebat potentia. Pauperibusque dapes, nudis dat tegmina vestes: hos fovebat ne in via deficerent, illos tegebat ne aut frigoris rigore aut caloris ardore, deperirent. Sed quid in humanis est omni parte beatum. Deus enim Dominus noster solus vere bonus & solus vere beatus, æqualis & coæternus Deo Patri existens, & homo in fine seculorum deveniens, sicut immaculato & intemerato utero exivit virgineo, ita sine molestia & gravedine peccati nostri conversatus est, egressus e seculo, nostro dico, per humanitatem, pro nobis, in nobis, ex nobis assumptam, egressus est seculo; qui per Deitatis essentiam suis fidelibus æternam promisit præsentiam.

[14] Nos vero qui in iniquitatibus concipimur, & in delictis ac doloribus parturimur, [Ad excusanda ejus peccata,] quamvis salutari lavacro originali absolvamur commisso, fragilitate corporeæ infirmitatis & onere superadditæ mortalitatis aggravati, in peccati cœnum relabimur; & nisi supernus relevaret spiritus, omnes æternæ damnationis absorberet interitus. Sed qui protoplasto post mali gustum & divini præcepti transgressum, morte morieris, dixit, in se credentibus, ejusque jussis obtemperantibus, vitam æternam promittit: & qui legalis censuræ severitatem, per præmissos intulit, ipse misericordiam veniens attulit, ut legalis duritia Evangelica mitigaretur clementia, dum quos illa puniendos dijudicet, ista ad veniam quærendam invitet: nam cum illa ob hoc vel illud commissum hunc a populis delendum, illum lapidibus

obruendum, alium morti condemnandum denuntiet; hæc pœnitentiam agentibus regnum cœlorum aperiendum declamat, & omnem reatum, excepta Spiritus blasphemia, id est æternæ salutis desperatione, remittendum insinuat.

[15] Quo enim modo reatibus absolvendus creditur, [estenditur, remitti omnia præter desperationem.] a quo ejusdem remissionis gratia desperando contemnitur? Et qui enormitatem scelerum suorum divini lateris sanguine diffidit præponderandam, & multitudinem reatum spiritualis gratia remissionis non æstimat exsuperandam, atque in ipsam incredulitatis seu desperationis obstinatiam in finem usque perseverando defecerit; idcirco pietate privatus, omnibus exit criminibus implicatus; & ab ea, quam desperando contempserat, ac per hoc semet indignum ipsa judicaverat salute, a Christo condemnatus, æternæ damnationis barathro, sempiternis exurendus incendiis detruditur deputatus. Qui autem voce Dominica audita veræ remissionis gratiam petit, ut accipiat; commissorumque indulgentiam quærit, ut inveniat; atque ad pietatis æternæ januam precibus importunis non deficiendo depulsat, portas indeficientis clementiæ, veræ confessioni apertas inveniet; per quas ad atria curiæ cœlestis devenitur, ubi Deus deorum in Sion, id est æternæ pacis visione conspicitur.

[16] Inter igitur præmissa pietatis studia, Sueno Magnus, [Sueno ex concubinis multos suscepit filios] veluti Regum quondam fortissimus, ut & vatum facundissimus David; qui in similitudine veri pastoris, bestiarum fauces manu forti conterens, gregem Dominicum a voratu insidiantium a Christo liberandum insinuarat; & Goliath alienigena, veluti Antichristo, divinis castris insultanti, atque singularis occursum certaminis offerenti, seseque contra & supra Deum extollenti, lapide angulari sive petra qui Christus est, de monte sine manibus excisa, percusso, ac dejecto, ac proprii mucronis acie perempto; ipsum

Antichristum divini oris & illustratione magnifici adventus interimendum insinuarat; hostibus circumquaque devictis ac inimicis insidiantibus solo stratis, regni felicitate nacta, & quiete e, pacis securitate, potita, luxui illecebrosi appetitus admodum cedens, numerosæ prolis sobolem, in regni sibi jura successuram emisit; quosdamque divinæ scientiæ studiis apposuit, quosdam suis in locis singulis educando nobilibus delegavit.

[17] Ipso autem in loco qui Suddadorp, id est villa cænosa, dicitur, via desperandi reditus egresso, regii glebam cadaveris regalibus procurantes exequiis, in insulam maritimam, quæ pro eo quod mari circumcingitur, lingua Danica Seland nuncupatur, ad locum præcipuum, qui Rooskild, id est fons Roe, antiquitus vocabatur, inferunt, ibique in ecclesia sanctæ & individuæ Trinitatis, & sancti Lucii martyris, insigni lapideo tabulatu, a Suenone ejusdem tunc Sedis Pontifice constructa, debitis honorificantes exequiis recondunt. Actum anno Incarnationis Dominicæ millesimo LXXIV, qui erat annus regni ejus XXVIII, IV Kalend. Maii, regnante in perpetuum omnium dominatore Jesu Christo Domino.

[18] [Excluso S. Canuto, eligitur successor Haraldus,] Inclytus ergo Sueno Magnus Rex, nationibus circumquaque versus regni sui gentes pacificatis; Dominicisque ædibus tum propria religiositatis industria in locis præcipuis quamplurimis eminenter exstructis, tum ab aliis pridem perfectis ac per semet regalibus donis decenter adornatis, & tam Pontificibus quam & religiosi cultus ministris amplificatis; ipse tandem humanæ conversationis usum deserens, atque secretum longævæ pausationis ingrediens, regni sui heredibus non tam regalium opulentiam gazarum, quam & regnandi securitatem, pace undique effecta, reliquit: eisque paternarum virtutum prudentiam gnaviter imitandam, operum monumentis deseruit. Sed regis inter se

tironibus, Haraldo scilicet & Cnutone, jam jamque Canuto nominando, de principatus jure dissidentibus; Haraldus, quia & natu anterior & gestu videbatur modestior, totius gentis electione in regnum adsciscitur, & ut felix diu vivat Daciæ princeps proclamatur. Quod acerrimus Cnuto, licet moleste ferret, fraternæ tamen potius duxit iræ cedere, quam, secundum Thebanos quondam regios pueros, sempiterni rogi incendiis ob regnandi libidinem sese fratremque concertando admittere. Divinitatis enim sibi affuturum inscius exspectabat auxilium, per quod se postmodum tam eminenti gloria ignorabat sublimandum.

[19] [qui mites & gratas populo leges condit.] Ipse autem Dominus Deus noster, qui in altis habitans, humilia respicit & alta a longe cognoscit, tempora exaltationis electi sui imposterum reservabat: quem non solum temporali, verum sempiterno honorandum imperio delegerat. Ut vero proposita persequamur, Haraldus patrium nactus imperium, populi votis admodum favere, eisque leges & jura, non tam quæ vellent eligere, imo quæ vel quales elegissent posteris servandas regali studebat auctoritate decernere. Unde leges ab eo sancitas Dani usque in hodiernum diem ab electis & eligendis sibi Regibus expetunt; eumque, veluti pacis ac libertatis publicæ provisorem, pro concessis ab eo legibus, laude & favoribus extollunt. Sed & ipso regni sui anno sexto patria via egresso, locus eum celebris, qui Vallis villa, id est Dalbui Danica lingua dicitur, futuræ resurrectioni reservandum excepit, & exceptum terræ matri religiosis prosecutum exequiis commendavit.

CAPUT II.

S. Canuti præclaræ virtutes, misericordia in pauperes, cura justitiæ & cultus divini, rigida pœnitentia &c. Expeditio in Angliam, fratris Olavi prodicione interversa.

[Nova præfatio in vitam S. Canuti.] Transcursis littoreis remigiis & adjacentium regionum intuitu jam satiatis obtutibus, ad altum pelagus tendentes, ratis nostræ rimas solerti industria obstruamus, ne qua vena insidiantis æquoris navigantes intercipiat: & erecto Crucis Dominicæ ligno, vela virtutum in altum resurgant, quo sirenarum cantus auribus obtusis, veloci Euro perflante, discurrentes, Herois nostri meritis ad sinum optati portus delatis, anchoram spei nostræ divinæ affigamus clementiæ ne spiritualium mercium navim scopulorum adversitas intercludat, & littorea gaudia, gazis porro vectis jam sparsim unda nantibus, fletuum planctibus admisceat. Sed qui dixit, Aperi os tuum & ego adimplebo illud, sensus nostri labia, & oris dirigat eloquia, ut sic militis ejus efferamus præconia, quatenus majestati illius tractemus complacita.

[21] [Cnuto, a Sede Apostolica Canutus dictus, multis splendet virtutibus,] Gloriosi igitur Suenonis magni Regis inclyta soboles, licet omnis paternæ virtutis industriam innata sibi æmularetur prudentia, insignissimus noster Cnuto, (quem sedes postmodum Apostolica, summo Pontifice præsidente, quam plurimisque tam Præsulibus quam & religiosi ordinis viris assistentibus, seu propter sensus caniciem vel vitæ sinceritatem, seu pro hoc quod eum in canone Sanctorum connumerandum decernebat, Canutum censi instituit) veluti inter gemmas pretiosas effulgens carbunculus, non tam patria imitari studia, quam & propriis monumentis gesta posteris conabatur tradere celebria: crescebat enim in eo morum honestorum prudentia cum venustæ juventutis gratia. Unde superna tandem providente clementia, in regni processit fastigia. Acer quippe erat ingenio, specie dignus imperio, oculis vivacibus, armis & animo strenuus, mentisque industria sermonis prodebatur facundia. Et quia neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei; & ab initio exorientis sæculi electi mansionibus

æternis in regia sempiterni Patris sunt locandi; Dominus in eo elegantem sibi satellitem formabat, quem ex regie dignitatis fascibus comitem supernorum & Martyrem faciebat.

[22] [misericors in pauperes, sacerdotum reverens, in sacris assiduus.] Ipse vero post fratris excessum ex saeculo, divinitus sibi proviso promotus imperio, Regum se Domino obsequiis mancipabat fidelibus; ut ejus protegente auxilio, tam a terrestrium quam & ab aëriorum hostium muniretur incursibus. Famelicos fovebat, & pauperes nudos vestiebat & algentes, orphanis & viduis clementer succurrebat, peregrinos & egentes misericordiae stipendiis sustentabat. Ordinis religiosi viros quosdam ut Dominos, quosdam ut Patres honorabat: ministeriorumque spiritualium sacraria regalium munerum donis adornabat. Sanctas Sanctorum Dei ecclesias, diurni cursus sacratum ordinem auditurus, assiduus frequentabat; & quæ ibi capaci percepisset auditu pretiosi pectoris armario recondebat: ad quæ eum divinus incitabat spiritus, ut in saeculum saeculi permaneret memoria ejus.

[23] Regum quamplurium, sed & ipsius Salomonis devitans lasciviam, ob quam ejus quondam posteris bis quinque regni partibus ablatis, [Ducta uxore Adela Flandra, intendit justitiae & divini cultus propagationi,] vix duabus irato Domino principari merebantur; imperatorii generis, nobilissimam sibi conjugem, sapientum consilio, elegit; quam insigni honorificentia ex occidentalibus oris adductam, secundum nominis ejus aestimationem, quæ Ethela id est nobilis dicebatur, nobilem nobiliter excipiens, impudicis concubinarum despectis amplexibus, solius ejus connubio, Jesu Christo teste, Angelisque ejus, contentus est. Sed & quemadmodum de beato Job dicitur, causas utiles, quas nesciebat, diligentissime investigabat; & cum prudentibus & religiosis sæpius pertractans,

qualiter fidei Christianæ religionem in regno suo indies adaugeret, assidue revolvebat. Multa siquidem antiquitus tradita in præsens observari sagaci industria prospiciebat, quæ magis pro divina essent justitia corrigenda quam ob vulgi favorem exequenda: quæ superni arbitri inspirante gratia coërcere disponebat.

[24] Sed indomitæ gentis feritas & innata duritia, [obloquentibus improbis ejus sancto zelo.] voluntatis ejus effectum indies differebat. Et quia, ut veritas attestatur, omnis qui male agit odit lucem, & non vult venire ad lucem, ut non arguantur opera ejus; hi qui magis pravis usibus inhærere, & voluntarie cupiebant in peccatis jacere, quam injuste observata, justitiæ ratione audita, relinquere; vanitati eum insistere, & veluti novis & inauditis adinventionibus operam dare, in suis conventiculis querebantur: ac ob hoc, qualiter jugum dominationis ejus ab indomitis & hactenus inflexis duris contumaciæ suæ cervicibus excuterent, haud divini Spiritus illustratione inflammati, sed alieni spiritus suggestionem inflati, consiliabantur. Homo enim carnalis non percipiebat, quæ regio pectori omnis scientiæ Spiritus infundebat. Nam cum ipse eos a peccati servitute eripere, & ad justitiæ libertatem conaretur reducere; audiendo non intelligentes, & obcæcati videntes, veluti antiquæ pacis & quietis invasorem ac pristinæ libertatis eum putabant ereptorem. Idcirco congregaverunt iniquitatem sibi, & egrediebantur foras. Foras egressi sunt, cum justitiæ divinæ sua statuta præferendo, Dei justitiæ subjecti non sunt: ac per hoc a justorum consortio sequestrati & a terminis eorum ejecti, iniquorum collegio sunt deputati, quia voluntarie servi peccati sunt effecti. Quapropter in laqueum, quem pedibus innocentis paraverunt, incidentes; & in foveam, quam foderunt, corruentes, Judæorum æmulatores extiterunt, quia vitia eorum increpantem ferre nequiverunt. Sed relatu perditionis eorum suo tempore reservato, ad virtutum

nobilitatem magnifici Herois nostri explicandam, redeamus.

[25] [Peccata suæ confitetur, proque iis sese flagellari privatim curat:] Crescente ergo in servo & vere Rege (quia Deo servire regnare, & vitiis imperare dominari est) divini respectu timoris; actus & ignorantias pristinas ac delicta juventutis suæ solerti examinatione discutiens, sibi cohærentibus religiosis viris, tunc quidem regalis curæ Capellanis, nunc autem Pontificibus venerandis, Geroldo scilicet & Arnolde, veræ & sinceræ confessionis humilitate adaperiens, suæ devotionis affectum, ita divinæ subijciebat clementiæ, ut quod quibusdam incredibile videbitur, corporalis etiam vindictæ plagas ipsis solis, Deo teste, ejusque secretorum consciis, ab eis sibi inferri non renueret. Audierat enim & audiens intellexerat, quia quanto magis caro exterior attereretur, eo amplius spiritus interior relevaretur.

[26] [in Quadragesima & omnibus diebus Veneris, in pane & aqua jejunans.] Et, ut qui Christi esse desiderant, carnem cum vitiis & concupiscentiis crucifigere non perhorrescunt; solennibus etiam & privatis jejuniorum diebus sextaque sabbati mensæ regali assidens, cum a convivantibus vino seu melle mixtis uti putaretur liquoribus, ministris solum fidis cum occultorum inspectore scientibus, pura utebatur aqua, regaliumque deliciarum dapibus ori tantum appositis, delatisque partim circa se sedentibus, partim pauperibus distributis atque transmissis; ipse pane sicco, sale appposito, corpus delitiis assuetum, non tam sustentabat, quam & his, non ad sufficientiam sumptis, cruciabat: opera enim sua non in platearum occursibus propalari, sed ab investigatore cordium desiderabat approbari; ut nesciret sinistra quid faceret dextra: quia non inde laudis humanæ favorem, sed Patris in abscondito videntis, præstolabatur remunerationem.

[27] [Nominis ejus celebritas.] Sed quoniam, juxta veritatis dictum, civitas in excelso sita nequit abscondi; & lucernæ lumen magis in edito proferri, quam in abscondito debeat occultari; fama virtutum & constantiæ, prudentia nobilissimi Principis latius diffunditur: & tam apud Scottos, Orcadas, Irosque, qui ultimos fere occidentis fines incolunt, quam & apud Anglos & Gallos Saxonesque celeberrimus habebatur. Italicis vero terminis incognitus non erat; & ipsis Francigenis, qui & Romani, dicuntur, admodum bellicosus, non tam admirandus quam & metuendus insonabat.

[28] [Evocatus ab Anglis contra Guilielmum Normannum,] Anglorum enim gens nobilissima, quæ ab antiquis Saxonibus originem ducere S. Venerabili Bedæ Presbytero, ejusdem gentis historiographo describente, dignoscitur; Haraldo, Rege fortissimo a Wilhelmo Australium Normannorum Duce, belli insidiis interempto, ipsoque Wilhelmo ita demum Anglorum imperium vi arripiente; eorumdem, quos supra commemoravimus, Romanorum seu Francigenarum dominatus jure diutius oppressa, eo tantummodo pristinæ se restituendam libertati incipiebat præsumere, si insignissimum principem Canutum cum sui exercitus viribus ad ulciscendam consanguinei necem, Haraldi scilicet quondam Regis, ab eisdem Romanis interempti, Britannicæ littoribus agnovisset applicare. Siquidem inclytis eorum Ducibus & Comitibus, Satrapis & nobilibus diversarumque dignitatum personis partim ferro peremptis, aliis in ergastulis deputatis, quibusdam paternarum gazarum ac dignitatum honore simul & hereditate privatis, nonnullis nativo solo exterminatis, reliquis veluti publica servitute oppressis, ferocitatem tyannidis eorum non ferentes, extraneorum attrahere decernunt auxilia, cum reparandæ seu recuperandæ libertatis ducem eis aut principem inimicorum provida non reliquisset astutia.

[29] Unde legatis frequentius transmissis, præstantissimi Principis Canuti deposcunt auxilium, [eis succurrere meditatatur,] magis cupientes hostibus aggressis ad Anglorum obtinendum decertare imperium, quam inimicorum tyrannidem patiendo, ferocitatis eorum ferre dominium. Quorum angustiis & legationibus, piissimus Heros incitatus, incommoditati eorum succurrendum decrevit; ut & gentem nobilissimam pristinae libertati restitueret, & Romanorum seu Francigenarum insolentiam, consanguinei necem ulciscendo, puniret. Classem ergo quam plurimam parari instituit, suisque ad omnia paratos esse edicto proposito demandavit. Sed omnia disponens & cuncta dijudicans, cujus judicia abyssus multa, & cujus consilium nullus investigare potuit mortalium; sive pro illius adhuc gentis correptione protelanda, seu pro Martyrii gloria nobilissimi Principis suae magis propriae genti quam extraneis reservanda, iter humanae voluntatis impediabat: qui Danis de Principe patronum, de Rege protomartyrem efficere disponebat: protomartyrem dico, quia nulla antiquorum relatione didicimus, aliquem ex eorum genere martyrio insignitum fuisse, nullum inter eos perseverandae justitiae constantia taliter occubuisse. Idcirco gloria & honore coronatus, in dextera sempiterni Regis permanet collocatus. Sed hæc Deo cognita.

[30] Classis vero indies parabatur, & ad nobilem tam frugibus quam & rerum opulentia terram, [classe eo fine parata,] tam a nobilibus quam & a vulgo omni instantia festinabatur. Verumtamen rumore expeditionis eorum Britanniam usque velificante, atque universum Anglorum orbem cursitando replente, Willelmus arte tuitionis, utpote bellicosus heros, non imperitus, castra & oppida munire, muris & fossatis propugnaculisque castella circumcingere, urbium muros renovare, vicis vigilantiam adhibere, diversosque ad portus nauticas custodias deputare; exercitu vero conducto tam a Gallis &

Britonibus, quam & a Cenomannis aggregato, ita urbium aedes replebantur, ut vix suis domestici foci assidere viderentur.

[31] Anglis autem quibus non minimi desiderii Danici exercitus adventum esse didicerat, [Guilielmo interim rebus suis prospiciente.] barbas radere, arma & exuvias adinstar Romanorum coaptare, & ad deludendum adventantium visus, per omnia se Francigenis, quos & Romanos dici prætulimus, assimilare [præcepit;] quod perpauci fecere. Sed hæc ibi. Classe igitur parata, Danorum exercitus occidentalis portus littoribus, velis sinuatim distensis, advehitur, ibique regiæ classis adventus in dies præstolabatur, Rex vero in loco celeberrimo, qui ab ejusdem quondam loci Domina Ethe Ethebi nomen accepit, quod Danica lingua, interpretatum Campi Villa dicitur, demorabatur, cum prudentibus & sapientibus pertractans, qualiter res cœpta ob multorum profectum, Jesu Christo auxiliante, ad decentem perveniret effectum.

[32] [Olavi proditione orto inter Danos tumultu,] Sed quemadmodum Israëliticus quondam populus, Moyse cum Deo confabulante demorantæ, ab Aaron deos sibi fieri, qui eremiticæ eis viæ ducatum præberent, exposcunt; & ob hoc irato Deo desiderati soli tam visu quam & usu privantur: ita & vulgus hic impatiens moræ littoreæ detentionis, præstolationes domesticis inutiles negotiis querebatur, & aut ad propria remeandi, sive principem eis alium expeditionis, Rege aliis intento, eligendi facultatem, seu Regi nuntios, cum sua quantocius classe acceleraret, consilio crebrius inito, transmitti vociferabatur: quorum strepitu frequenti diuturnisque clamoribus Principes moti, Regi nuntios transmitters, querelasque parati exercitus regiis decernunt auribus insinuare. Cujus legationis Olavus, ejusdem gloriosi Regis frater germanus, haud felix executor effectus, Regem cum

comitibus adiit, exercitus mandata depromit, causas questuum libere perorans ostendit.

[33] [iste in Flandriam captivus, exercitus domum dimittitur.] Porro Rex perspicacis industriæ, negotio diutius protracto, Rodberto occidentalium nobilissimo Duci, sibi per filiam, Reginam scilicet Ethelam, propinquo, fratrem suum eundem reservandum in Flandriam transmittit; exercituique per internuntios quæ volebat remandavit. Verum autumno imminente, remissis legatis, non minima instantia omnis multitudo interpellat, ut ob domesticorum usum negotia, exercitum ad propria remeare jubeat. Vernali tempore classem universam, quocumque delegisset, paratam habiturus. Quod Rege; nobilibus magnatibusque intervenientibus, annuente, anchoras læti sabulis eripiunt, tentoria super affixa jaciunt, & mali suprema erigentes, vela ventis admittunt, altumque pelagus petentes & Regi prospera imprecantes, Æquora puppe cavant, laribusque cupita reportant.

CAPUT III.

Multa in Ecclesiæ bonum sanxita, ministrorum nimius rigor, improborum seditio, sancti Regis secessus, direpta ac spoliata curia, tumultuantium varia scelera.

Exercitu igitur ad propria reverso, religiosus Princeps, [Canutus morum disciplinam, festorum, jejuniorum, libertatis, & hospitalitatis jura sanxit:] veluti hactenus, pietatis studiis inhærere, divini cultus reverentiam extollere, cleri jura provehere, dierum præcipuorum legitimorumque jejuniorum observantias vindicta proposita regali edicto, quemadmodum per universum Christianum orbem habentur, statuere, & omnia admodum Deo contraria pro posse suo coërcere, studere; servos manu missos & proprii sudoris labore pretio acquisito redemptos, libertati publicæ adjudicare;

advenasque & undecumque advenientes, nec alicui hactenus obnoxios, incolarum pares jure & æquitate decernere: (Quod licet Danis invisum & incommodum, Deo, ut arbitramur, haud contrarium) rebellium, sive divinorum seu legalium institutorum, obstinatiam opprimere, & regiæ æquitatis virga indomitas eorum cervices edomare, contendere.

[35] [quare improbi populum adversus eum concitant.] His ergo pietatis inimicus & virtutis atque veritatis hostis irritatus, dum per hæc numerum sibi obsequentium jam jamque imminuendum pertimescit, diversarum insidiarum præstigia discurrit, utque tantæ religionis tempora perturbet, & populum jam tandem, per devoti Ducis solertiam, Deo quam maxime subjiciendum, suæ potius malignitatis faucibus deglutiat, machinas astutiarum intendens, ut leo rugiens circuit; quem devoret, inquit. Et jam veluti quondam Pontifices ac Pharisæos legisque magistros in ipsum veritatis auctorem veneno invidiæ incitavit, per quos vulgi simplicitas ad condemnandum vitæ opificem, instigaretur; sic & natu quosque majores & præeminentes facundia etiam, & audacia ad fas nefasque promptiores, adversum religiosum Principem iniquitatis antiquæ stimulis incitavit, incitando inflammat, inflammando ad omne nefas pronos & promptos inclinat: atque ut justii viri memoriam solo exterminent, nobiles ignobilesque instigatione non insolita provocando, adarmat. Unde omnis paene terræ vulgus veneno iniquitatis ejus infectus, & laqueis malitiæ illius irretitus, ad omne scelus præparatur, & averso sensu vultuque in terram dimisso, summa inspicere devitant; ne a malitiæ semitis recte avertantur, quo eorum participes efficiantur, quos sapientia divina, Dominum a se recedere compellere protestatur.

[36] [Regii ministri eos sua injustitia magis exacerbant.] Verumtamen, ut proposita prosequamur, regalium

negotiorum executores sive exactores plus justo in causis exaggerandis insistere, staterarum pondera adaugere, rerum quarumcumque pretia vilipendere, & ut vulgariter edisseram, unciarum valentiam, vix solidi pretio admittere; judicia, ut tradunt, pervertere, nobilesque quemadmodum & ignobiles vi & potentia opprimere contendere. Quorum insolentia quamplurimi exacerbati, majores natu ira simul & invidia accensi, omnes in regium Principem consilio & armis irrumpere, & tam in eo quam & in illis, nuntiis circumquaque intermissis, publicas, ut arbitrantur, injurias vindicare. Discurrunt ergo impietatis & dementiæ intercursores, & non modo ad scelera promptos, verum etiam simplicium atque innocentium incitant animos, ut complices scelerum multiplicent, & veritatis ac justitiæ jus usquequaque perturbent.

[37] [Patheticæ scriptoris exclamatio.] Pro dolor! abundans exurgit iniquitas, refrigerat & tepescit caritas: plebs ad omne scelus incitatur, fas substernitur, & nefas extollitur: & veluti belua ad deglutendum parata, sanguine sitibunda cupit saturari regio: armis lacertos, crudelitate exacuit animos. Et heu! veretur ne tempus adveniat sceleri, & ante succumbat quam omne ministerium iniquitatis adimpleat.

*Sed quid ad iste furor, vel quo violentia tendit?
In Regem populus ut consurgat furibundus!
Plebs insana, vide tibi quid super affluet inde:
Adveniet pestis, cedent armentaque morbis,
Ut bos deficiat, & quod tibi vacca ministrat.
Rus reddet tenuem sterilis maledictaque messem
Seminis & fructus persolvat vix ager ullus:
Deficient silvis glandes & germina campis.
Et copiam lactis & amittes dulcia mellis;
Occumbent pecudes, morientur gurgite pisces:
Dura fames homines prosternat deficientes.
Et tu qui proprio Duci submittere colla*

Jam dedignaris, sub averni duce jacebis.

[38] Rex igitur in locis Australibus ultra fluvium qui Lima dicitur regalibus negotiis ex more peractis, [Aperta subditorum Seditio,] ad regionem maritimam, quæ Wendel lingua Danica, quod convertibilis interpretatur, advehitur; ibique in villa regia, quæ a Domina quondam loci ipsius Burhlina, jam mutata vocali Burhlanis nuncupatur, cum regio satellite spatiaturus, residere decrevit, regiis exactoribus de peragendis simul & inquirendis negotiis demandans. Cujus adventu tam nobiles quam & vulgus incitati, impiorum consiliorum conventicula aggregant, & ad invicem animos ad iniquitatem instigant, pudori deputantes, regiis institutis cedere, & sese inferiores quam regiam potestatem existimare. Idcirco dum potestati insidiantur, Domino adversantur; quia juxta veridicum Apostolum, Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. At per hoc in ejus deputantur consortio, qui dum Deo subditus esse contempsit, in profundissima inferni de excelsissimis cælorum dejectus cecidit sedibus.

[39] Pontus ergo Cornicus dicitur, ubi omnis multitudo iniquitatis, [quam Canutus frustra placare conatus,] animo venenato & brachio armato, adunatur, & tam nocturnis quam & diurnis conciliabulis religioso principi insidiatur: unanimes instituentes, ut aut illum finibus suis exturbent, vel (quod dictu nefas est) a regione viventium exterminent. Statuto autem die Rex cum suis multitudinem conventus eorum spectaturus ingreditur, & cognita voluntatis eorum obstinatio, rem pertractaturus ad suos revertitur: sed ibidem perpauca, quæ proposuerat, ob insolentiam insanientium dispositis, furorem adunatæ & conspiratæ multitudinis mitigare cupiens, & de se suisque prospiciens secundum illud Dominicum præceptum, Si vos persecuti fuerint in civitate

una, fugite in aliam; loco cedendum instituit, & ne major tumultus fieret quietius abire constituit.

[40] Aquilonalibus igitur partibus derelictis, occidentalium terminos insequitur, [tantisper secedit, conjuratis, curia direpta, eum insequentibus.] & ad locum qui nunc usque secundum veteres Acresburch, id est urbs agri dicitur, obsequentium turbis transmissis, ipse non longe cum reverendissimo Antistite Henrico in villa episcopii ejus ibidem proxima spatiaturus cum numero comite resedit. Porro Regis discessu divulgato, turba diripientium catervarum regias curias invadere, rerumque provisores ibidem ædibus exturbare, omnia investigantibus oculis avaris inspicere, manibus quæque proxima diripere, universa porcorum more subvertere, regalium stipendiorum reliquias, quas vorando deglutire nequiverant, pedibus conculcando proterere. Et quid amplius? Ut in David legitur, confirmata malignitatis consilio universa multitudo iter aggreditur, regia vestigia alii propriis, quidam cornipedum pedibus insequuntur, edicto proposito statuentes, ut aut religiosi Principis memoriam solo eripiant, aut eum a regni jure depellant. Reverendissimus vero Pontifex, qui eo, ut prædiximus, tempore secum Regem gloriosum detinebat, non sperato adventu vesanæ audito, seditiosos cuneos cum prudentibus adiit & sermone placido ut ab insolentia haud sano admodum consilio cœpto compescant, instigat, & ne ad infamiam universi orbis deveniant, fas nefasque proponens, facundissime perorat.

[41] [Fædo tumultu] Sed quia quos veritatis inimicus & pietatis hostis perturbatione inquietudinis repleverat, Spiritus divinus aufugerat, & super inquietos ac tumidos idem Dei spiritus requiescere non poterat; ut Judæi quondam Stephanum redarguentem non ferentes, duris dissecabantur cordibus & in eum stridebant dentibus; sic sanis Reverendi Antistitis consiliis infremescentes, insanis

clamoribus insonant, & jam jamque in Reverendum Pontificem irruere, impetu facto festinant, hastis sabula littorea spargunt, æthera vocibus impetunt; & ne vera peroranti ac utilia persuadenti vulgus acquiescat, incommodis quibusque propositis dissuadendo insistunt. Verum ut confirmatio sermonis maligni perficeretur, Illustrissimi Viri spretis exhortationibus, & piis ejus persuasionibus postpositis, ferocitatis complicibus viatim e multiplicatis, seditiosa legio ad omne facinus præceps, ad urbem prænominatam, ubi regalium gazarum ministri seu provisores assidebant, concite properat: & ut exinde fama insolentiæ cœptæ in universum Jutræ orbem divulgetur, decertat.

[42] [multis spoliatis, occisis & fugatis,] Et quid immoror? Stuperes insanientium irruptiones intuens: quidam namque nudi stratis extrahuntur, alii pro foribus suffocantur, nonnulli flumine præcipitantur: sed & ipsos Magnates undecumque investigantes persequuntur: dum & istis armis fugiendi recluditur exitus, & illis simul præ foribus hostis assistit & gladius. Decertat ergo cuneus uterque, illi deforis impugnantes, isti deintus se suaque defendere cupientes. Sed multitudine irrumpentium continuatim accrescente, quidam ipsis etiam vestibibus expoliati in arma nudi prosiliunt: alii saucii & veluti a beluis dilacerati procedunt. Nonnulli domibus quoque diffractis effugiunt. Dehinc latebras quique quam proximas requirunt, quidamque navibus admissis, furori irruentium cedunt; Rege cum suis hactenus ab his tumultibus ultra fluvium transposito. Omnibus igitur illinc tam regiis ministris quam & ipsis domesticis exturbatis, supellex cuncta subvertitur, lectisternia subvertuntur, singulorum mansiunculæ dispiciuntur, hospitia investigantur, sed & ipsa effodiuntur atria; & quid quisque prædo avarus rapiat, seu famelicus diglutiatur, ipsis adinvicem prædonibus altercantibus, avaritia proca decertat. Hinc ignobiles quique & rapaces locupletantur,

dum & nobiles ab hostili cuneo propriis privantur, & alii saucio quondam latere acquisitis exspoliantur.

[43] Talibus igitur furiis pertinacis obstinacæ turba exagitata, [Canutum intercipere conantur.] ut omne suis jus terminis exturbet insistit, & ne Principi religioso refugii locus usquam relinquatur; ac ne quemquam sua vitia redarguentem superstitem deserat, vesaniæ suæ simul & dementiæ intercursoribus circumquaque, dæmone comitante, ceu ventis transvolantibus decertat. Sed veluti pietatis magister Jerusalem cum filiis suis in ipsum perennis misericordiæ fontem Pharisæorum consilio & Scribarum instinctu sæpius conspirantem, ventura denuntians, utpote futurorum insciam, deflebat; sic jam te, Jutia, ob insolentiam te inhabitantium, & Dei hominem, probitatis inimici instigatione, persequentium, non ullus pietatis præco, ob hanc insolentiam superventura tibi incommoda, sed tuis interim visibus abscondita prospiciens, non immerito defleret, cum te præsentibus tantum credere & non visis; imo tantum adventuris fidem quam minime cerneret adhibere. Quapropter his te querelis aggredi non incongruum:

Gens inimica bonis justo cur insidiaris!

Cur furiis actus firmas cum dæmone pactum? [Invectiva in improbos, & maxime Jutas.]

Ut velut ille polo tumidus dimittitur alto;

Sic tu de proprio deturbes commoda solo,

Ut simul & rabidus & sis pietate privatus?

Sicque tuo tantum cur pellis ab orbe patronum?

Et quod tentabas cum perfecisse volebas,

Cur non implesti? quo te post gloria justis

Et crescens tereret, & dejiciendo levaret:

Ut cum deveniens, ejus manifesta videres

Signa, decus, doxam; propriam cognoscere noxam

Posses, & titubans nudas admittere plantas:

Ingrediensque sacras contrito pectore valvas,

*Ponens exuvias, sumpta probitate, veternas,
Et simul exertos sursum retinere lacertos,
Ora rigans lacrymis & tundens pectora palmis;
Et genibus flexis veniam deprecere noxis;
Improperans sceleri proprio, grates sed honori
Martyris attribuens & facta facinora deflens.
Sed quod tu Jutia contemnis habere superba,
Æmula facta tua capit ecce Fionia clara:
Et quamvis cœptum perfecerit illa malignum,
Ipsa tamen gestis signis lætatur honestis,
Assidue spectans, vice conversaque frequentans;
Cum nunc exorat, quem expirando necarat,
Pectore concusso vultu soloque remisso,
Et visu madido pugnis & corde retunso,
Atque genu flexo tristis pro crimine facto,
Ut fore pacatus velit illis & miseratus,
Continuaque prece priscum scelus abluat omne.
Aureolis aula, donis ditatur & ipsa,
Hicque nitent fulvi nunc ornamenta metalli
Cum serico gemmis croceo pretiosa decoris.
Confluit huc populus, habet hic pia gaudia vulgus,
Exultatque sacrum se percepisse Patronum.
Organa cum tibiis resonant dulcisona pulchris,
Et cytharas plectro quatiunt speciosa canendo.
Hæc tu cuncta tuis furibunda repellis ab oris:
Illa levatur habens, quæ tu minueris amittens.
Ista locis, verum serventur in ordine rerum
Queis nunc omissis dentur loca, tempora gestis.*

[45] [Canutus fugiens, venit in Wybergh.] Locus igitur celeberrimus medio fere Jutiæ orbe consistit, qui seu ob sui eminentiam, sive ob antiquorum inibi sacrificiorum frequentiam, vel ob idoli ibidem quondam opinatissimi, qui Wyg dicebatur memoriam, Wybergis veluti Wygi excelsum aut belli mons, seu sacrificiationis, lingua Danica nuncupatur: ubi ex totis Jutiæ partibus quam sæpius non minima multitudo, tam de causis communibus

tractatura, quam & de legum veritate sive firmitate discutienda, simul & stabilienda convenit; & quod ibi communi sensu aggregatæ multitudinis statutum fuerit, non impune uspiam in Jutiæ partibus irritum fieri valebit. Huc ergo insignissimus Heros cum satellite superstite deveniens, dum inibi, si quempiam fidem retinentem inveniatur, inquit, non modo non invenit; imo etiam ibi insidiarum laqueos sibi appositos intendit. Aquilonale namque vulgus, ut supra commemoravimus, furiis infernalibus actum, quod sceleris hujus auctor & exordium fuisse dignoscitur, jam vesaniæ suæ signa circumquaque denuntiando efflaverat, & Principi religioso effugii locum nusquam relinquebat. Et (heu!) cum vulpibus auxilii fovea pateat, & aves consertos sibi nidos requirant, Filio hominis, id est Jesu Christo famulantes, ubi caput reclinent non habent. Ex hinc portum fluminis, qui Sleh dicitur, cum suis absque tumultu adiit, nautico itinere cum fesso jam per terras comite Fioniam profecturus.

ANNOTATA.

Obstinatia seu obstinacia, & hic & infra pro obstinatione. Sic præstigia pro præstigiæ.

Valentia pro pretio seu valore, satis intelligitur.

Per viam, qua Regem insequabantur, facinorosis aliis accedentibus.

CAPUT IV.

Fuga S. Canuti in Fioniam, Piperonis aulici nefanda proditio, furentium impetus in basilicam S. Albani, in qua Rex lancea perfossus pro justitia Martyr occumbit.

Puppibus ergo non segniter instructis & necessariis advectis, magnificus Princeps Juticum furorem simul &

ipsam Jutiam penitus relicturus, [Rex in Fioniam fugiens] fluctivagos sinus cum domesticis satellitibus, & novo jam certamine tironibus experiendis ingrediens, Fioniæ partibus advehitur: ubi dum præsentis securitatem quietis requirens, non invenit; sempiterna felicitatis palma & perpetua gloriosi triumphi memoria insigniri promeruit. Tu etenim, antiquissime seductor, hæc omnia, Deo sinente & ad potiora disponente, malitiæ tuæ artibus & instigatione perficiens, qui quondam decorus & magnificus, ob immensi tumoris contumaciam, de summo cælorum dejectus, & postmodum in serpente visus, proavos nostros Deitatis promissu seduxeras; haud mirum si jam per unius regni spatia, in hominem Dei insidiarum machinas distendas, cum quotidie per universum orbem fidelium iter impediens, ad damnationis tuæ cumulum multipliciter complicium sempiterno tecum igne exurendorum coacervas. Aggredere ergo impietatis tuæ ministros & in Dei servum exacue virus, instrue animos, incita lacertos ad arma, insidias præpara, complices sceleris accumula: ut quanto crudelior extiterit insidiantium sævitia, eo gloriosior efficiatur religiosi Principis victoriæ memoria.

[47] Regis ergo adventu divulgato, ut quod divina disponebat providentia, [Othoniam se recipit,] non serius efficeretur, nocturnis simul & diurnis intercursoribus circumquaque transmissis, multitudo vulgi coadunata, iniquitatis aggregat consilia, & ut suis etiam Principem religiosum finibus exturbent; seu, quod dictu scelus est, vitæ exortem efficiant, omni condicit instantia. Ipse autem ad locum præcipuum, utpote certaminis, triumphi, & repausationis a suæ, qui Othenswi dicitur, cum Erico fratre suo, Rege postea gloriosissimo, & Swenone inclyto, Benedicto quoque laboris atque certaminis consorte, curialibus secum comitantibus proficiscitur, rerum ibidem eventum præstolaturus, & quid suis consilii admitteret, tractaturus. Seditiosa vero multitudo indies adaugetur, &

non tam internuntios quam & exploratores curiæ regali intermittit, regiaque undecumque sciscitatur consilia, & ad eam cum suo comitatu dejiciendum, omni decertat instantia. Cujus seditionis uti princeps & fraudis commentor, Pipero dictus, inter eos insignissimus, astutus ingenio, facundus eloquio, Principem innocentem fraudulenter adit, & ut fidem fraudibus præbeat, legionis insensatæ furibunda non occultat edicta, quæ tamen per se quam plurima proponendo, haud minime depromit attenuanda.

[48] [ubi Pipero aulicus eum furenti populo prodit.] Mensæ igitur regali & Regi proximus assidens, secundum illud Davidicum, Qui edebat panem meum, magnificavit super me supplantationem; Regiis tandem non modo dapibus farcitus & poculo debriatus, quam & muneribus honoratus, veluti magistro veritatis, Judæ proditori intinctum panem porrigendo, dicenti, Quod facis, fac citius; religioso Duci pacis osculo, ficto & venenato corde tradito, sicut ille lucis auctorem & pietatis eruditorem Pharisæis, sumptis argenteis vendidit; sic & iste luce derelicta, id est fidei probitate dejecta, infidelitatis tenebris illaqueatus, ut nox nocti non scientiam sed insipientiam indicaturus, hostilibus catervis occurrit: & quæ a Rege perceperat, non pandendo sed pervertendo denuntiat; & qua eum fraude circumveniant, perorat.

[49] [Longiores diræ] Et heu te miserum, infrunitum, vecordem, mente captivum! incassum impietatis aggregas exercitum, cum ad detestationis tuæ adaugendum opprobrium, quem cum consortibus tuis persequeris, latius jam per orbem efficies celeberrimum: cujus enim paulo ante conviva exstiteras, ejus nunc proditor vitæ fieri non erubescebas. Cur ergo, crudelissime, tetro, & invisio, tuis assistenti dextris inimico, Crucis signaculum non opponebas? Cur arma tuis jam humeris superimminentia non prævidebas? Et si te ab

scelere nec convivii participati benignitas, nec muneris collati dignitas revocabat, cur perennis infamia & dedecus sempiternum, utpote industriæ sagaci, ob ineffabile nefas, animo non occurrebat? Distensis etenim adhuc epulo visceribus, & veluti sanguinolentis obtutibus, necdum consumpta digesseras; & quibus jam convivam d pium persecutoribus traderes, advocabas. Oh! te impudicum, pietate & probitate privatum, orbis universi acclamatione detestandum & stygiis solum umbris ac Cerberi faucibus dignissime deputandum!

[50] [in impium proditorem.] Oh! te infelicissimum! Factus es Anna peior, Caypha deterior, Pilato crudelior. Ille namque Judæis, ut Jesus crucifigeretur inclamantibus, accepta aqua, non tam manus a sorde abluere, quam simul & voce & officio ab Justis sanguine immunem sese cupiebat efficere; tu vero crudelitatis ferocitate actus, & veneno impietatis omnis, malitiæ spiritu administrante debriatus, non modo imperiti vulgi insolentiam non compescebas, verum ad malignitatis cœptum velocius perficiendum, exacuebas. Neque enim te ad hæc Cæsaris terror incitabat, sed antiqui seductoris suggestio provocabat, quem a scelere desuper residentis & ex alto cuncta prospicientis intuitus non e revocabat. Nam sicut quondam Domino Jesu impius Judas osculum præbendo, Judæis, quem comprehenderent, innotescebat; non impari modo populorum impetum adversus Dei hominem attrahebas. Quapropter ut ille laqueo vita excessit, ita tu postmodum occupatus dæmone, lingua mordicus abscissa, spiritu scelestum cadaver deserente, ad inferos paene consortem inquisiturus, non immerito immitteris.

[51] Seditiosa vero multitudine vesaniæ suæ principem jam præmemoratum prosecuta, [Furentibus seditiosis, Rex in basilicam S. Albani secedit,] ad locum regiæ sedis coacervatim conglomerata discurrit, ad omne nefas præceps intendit, equorum fremitus & populorum fragor

ac armorum collisio æthera tangit, cursus & impetus humum concutit; pulvis solo exurgens & in aëra altius latiusque diffusus, die adhuc superstite, nocturnas tenebras interserit, & caligine nebulosa, visus [atque] etiam animos obcæcatorum obvolvitur. Porro vespertinali tempore imminente, devotus heros vespertinalem synaxim auditurus, & jam se suosque universorum opifici commendaturus, in basilicam pretiosi martyris Albani, haud longe sitam, cum fidis solum & laboris consortibus, & non tam certaminis quam & præmii, ut credi fas est, participibus expetit, reliquis latebras, quas poterant, inquirentibus & vitæ præsentis consulentibus.

[52] Hostilis vero cuneus circumquaque adveniando occurrit, [ubi perceptis sacris mysteriis, oppugnatur.] & tam ædes regias, quam & atria irruendo occupat: quidam quoque sacraria, ubi Dux religiosus cum suis inerat, irrumpere tentant; alii valvas basilicæ infringere, nonnulli ignem admittere, ceteri, ut aut vivos comprehendere possint, vel ut occumbentibus superstent, insistere. Sed igne rore supernæ virtutis extincto, invictissimi tirones deintus, pro foribus hostibus assistunt, aditum armis non segniter recludentes, & pro suo Principe gloriosissime dimicantes. Rex interea devotissimus Regem sempiternum, non Herodiana inquirere fallacia, sed humilitate Davidica se criminibus reum, illum vero, verum vere confitendo Deum, & non solum veræ & sinceræ confessioni insistens, imo vitalis communionis sacramento se muniens, tam aureis quam & argenteis muneribus ditat altaria; sociis etiam hæc eadem perficientibus, & vicissim ne hosti aditus pateat, armis obsistentibus.

[53] Conspiratæ tandem legionis multitudine undecumque accurrente, [Piperonis saucii & a dæmone arrepti interitus;] & ecclesiæ parietibus circumquaque insistente, monstruosus Pipero deforis pro foribus assistit, regiarum gazarum fidelissimum hactenus provisorem,

veluti ad singulare certamen advocat, & si quid cordis vel virium assit, ut occurrat, interpellat. Quo haud segniter deintus occurrente, duris alternatim ictibus admissis sauciantur; illo deintus gloriose occumbente, isto ad evidentioris ultionis indicium ad modicum supervivente. Nam domi dehinc delatus & acerrimo dæmone invasus, vicina quæque tam morsu quam manibus invadere, dirumpere, conterere, ore spumas ejicere, horribiliter vociferando acclamare, vana & inaudita proferre, scelus fraudulentum evidenter edicere, ad ultimum, lingua mordicus abscissa, vita miserabili terribiliter excedere. At vero hostis pertinax, obstinaci insolentia basilicæ parietibus insistit & cum sagittis saxa per aperta immittit, Duceque præcipuo tam lapidibus, ut Stephano tunso, quam & telis, ut Sebastiano saucio, ædes sacra tam ejus quam & sociorum vulneratorum ac demum occisorum cruore perfunditur; &, ut ita fatear, pretiositate Martyrii eorum, iterato consecratur.

[54] Verum ut passionum Christi Rex devotus imitator efficeretur, veluti Dominus Jesus in Cruce in medio iniquorum positus, sic & iste inter cuneum adversæ multitudinis constitutus, [item alterius, qui oblatam Sancto aquam hasta everterat.] aquam sibi sitiendi porrigendam, inter furentium tela expetiit: quam cum quidam, pietate motus, haustam deferens, ei per fenestram porrigeret; alius hasta intromissa, & vase de manibus utrorumque excusso, ac simul aqua effusa, Regi quidem sitim extinguendi otium ad modicum abstulit, illi vero pietatis præmium non ademit. Ille autem haud longo post tempore vesania actus, fonti superimminens, utpote sitim propriam extincturus, capite tandem in profunda demisso, genibusque desuper monstruose distensis, spirituque scelesto ad infima baratri extracto, cadaver ibidem exanime, veluti divinæ ultionis indicium, supervenientibus inspiciendum reliquit. Et hic quidem hoc

modo deficiens in servum Dei se deliquisse, manifesta expertus est ultione.

[55] [S. Regis ad martyrium se parantis laudes.] Sed quid amplius? Eloquar an sileam? sceleris enim cœpti malignitas perfecta exprimenda incumbit, & opus seculis detestandum ut depromatur, series deposcit. Hucusque namque gloriosum Principem cum insignissimis heroibus contra adversarios decertantem inspiciebamus, & veluti prope assistentibus arma pii affectus subministrabamus. Nunc vero, cum omnia præsentia ad occasum vergant, & floribus maturatis tempus sectionis adveniat; licet ob humanæ fragilitatis compassionem dolori deputetur, tam gloriosissimi viri præsentiam seculo sublatam edicere; ad potioris tamen lætitiæ accrescit incrementum, eum post laboriosi certaminis cursum, ad superna evectum, laudibus extollere. Sed quid de insensata plebis rabie & vesania edisseram? Cum enim terreno Principi adversatur, in ipsum virtutum Dominum furoris sui machinas invehere non veretur. Ignem namque sacris appositum ædibus, ne sancta comburerentur, desuper extinctum inspexerat: Ducem religiosissimum inter arma stridentia & saxa volantia positum, utilia quæque ac rationabilia persuadentem & pacifica pollicentem audierat; sed spiritu malignitatis impleti, & spiritu benignitatis evacuati, nec divinis moventur virtutibus, nec humanæ rationis mitigantur persuasionibus: superni quippe arbitris consilium perficiendum imminebat, qui hoc modo athletam suum de ærumnis præsentibus sempiternæ quieti inserendum advocabat. Nam & illi perpetuæ parabatur gloriæ memoria, istis vero perennis detestationis infamia, cui veluti de Domini persecutoribus dictum est; Si cognovissent, in Principem gloriosum arma furoris sui non intulissent.

[56] [Perfringunt tandem basilicam conjurati, Canuto lancea perfosso.] Fortissimis igitur heroibus hostiles acies

a foribus basilicæ deturbantibus, ad orientem sanctuarii, ubi Principem devotissimum precibus insistentem introspexerant versi, gladiis & securibus, postibus secandis & diruendis insistunt, capsulasque reliquiarum pretiosorum Martyrum Albani scilicet, nec non & Oswaldi cum cruce sacra interposita, poste ad ima vergente, solo dejiciunt. Inter hæc cælesti sponso secretorum suorum jam proxime conscium futurum ad æternum advocante cubiculum, Rege insignissimo pectore simul ad aram & ore converso, quidam ex impiorum caterva, lancea per fenestram intromissa, latus ejus perforat, & ædem sacram sanguine innocentis cruentat. At ipse Christi etiam post vulnus exitiabile non immemor, Benedicto fratre suo certaminum collega, vulneribus admodum saucio, assistente amplexato, & pacis osculo dato, brachiis in crucis modum extensis, membrisque solo ante aram sacram expositis, sanguinis vena ex vulnere lateris emanante, voce adhuc superstite Jesum interpellat: ac spiritum creatori commendans, pretiosi glebam cadaveris sanguine consecratam relinquit, & secretum misericordiæ sempiternæ, ab his tumultibus perpetuo pausaturus, intravit.

[57] Constantissimi vero commilitones, Duce interempto, [Comites ejus strenue se defendentes occumbunt.] non modo hostibus non cedere, verum etiam ad invicem exhortando animos incitare, vires exerere, per aperta irruentibus, haud segniter occurrere, armis arma viriliter referre, cedentibus vicem rependere, gloriose magis occumbere, quam tanto Principe amisso eligentes supervivere: quibus, multitudine hostili catervatim accrescente, non tam stratis quam & vicissim opprimentibus adversariis suffocatis, ædes sacra cruore conspergitur, templi solum unda sanguinis irrigatur: & illud Propheticum adimpletur, quo dicitur: Venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, effuderunt sanguinem Sanctorum in circuitu. Unde

non immerito, ut in subsequentibus habetur, facti sunt opprobrium vicinis suis, subsannatio & derisus in circuitu consistentium, commotioque capitis in populis.

[58] Quis enim Principem religiosum, a populo profano insidiis impetum, [Exaggeratio crudelis parricidii.] & lacessitum non detestetur! Quis Regem a gente propria interemptum [fuisse] non excretur? Ut enim quædem ex antiquis referam: Agamemnonem durissimum bis quinque annis & amplius, Argos bello pelagoque a propriis retinentem, Græcia sustinuit: Hannibalem ferocissimum, nobilium cædibus cruentatum, Hispania pertulit: Herodem atrocissimum, lucis auctorem & universorum factorem persequentem, crimen parricidiale parvi pendentem, nobiles ergastulis recludentem, lactentium turbam innocuam, maternis uberibus abstractam, impie jugulantem Judæa toleravit: Neronem crudelissimum, materna viscera ense rimantem, fratrem interimentem, Urbem inflammantem, ejusdemque senatores urbis & Patres orbis exitialiter exterminantem, ipsa mundi caput Roma pati duxit: Principem religiosum, divina exequentem, utilia & liberalia indicentem, a servilibus gestis vulgus coërcere studentem, Dacia contumax sufferre non valuit.

[59] O superbia execranda! o contumacia detestanda! [Canutus propter justitiam occisus.] o cervix rigida, quæ dum in præsentis flecti contemnis, sempiternis postmodum suppliciis coërcenda & flectenda reservaris! Cum enim tua vitia redarguentem vita præsentis extorsisti, temetipsam beatitudinis vitæ perpetuæ exsortem effecisti: & quæ te gentibus ceteris immerito, non juridice, sed elatione præferebas; hujusmodi iudiciis cunctis te infideliorem & infeliciorem, nec non etiam detestabiliorem demonstrabas. Principis quippe a Deo præpositi dum juri subjici recusas; illius te ditioni, hunc dejiciendo mancipas, de quo sacri eloquii protestatur

veritas: Omne sublime videt, & ipse est rex super universos filios superbiæ. Qui autem in excelsis residens, humilia respicit & alta a longe cognoscit, falli non potest: qui etiam in Evangelio humiles confortans & superbis minitans, dixit: Omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur. Petro vero Apostolorum summo acclamante; Deum timete, Regem honorificate; qua te fronte Deum timere contendis, quæ regiæ potestati honorem divinitus imperatum, impendere contemnis? Sed dubio procul posito, Isaicæ in populum antiquum exprobratio, quam Dominus Jesus Judæis impropere opponit, de te quoque expresse manifestatur: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.

[60] [Danorum in rebus fidei languor.] Quis autem te nesciat Christianæ religionis fidem verbis & ore quam facundissime extollere, sed divinis legibus propria tamen statuta præponere? Et cui incognitum est, ejusdem te fidei religionem, ipsiusque religionis denuntiatores non tantum vilipendere, imo dolis & versutia, fraudibus & invidia impugnare? Fides enim tua secundum Jacobi attestationem, sine operibus mortua est. Quia etsi facta quædam fidei congrua nonnumquam exercere videaris, non minus pro humanis ea favoribus, quam Patris in abscondito videntis remuneratione, efficere probaris. Quapropter cupito laudis humanæ favore exhibito, & temporali mercede recepta, remuneratione privaris æterna. Verum his de infidelitate & infelicitate impiorum hactenus exaratis, ad proposita persequenda redeamus.

CAPUT V.

Parricidarum in Benedictum, Sancti fratrem crudelitas, Dania divinitus multis plagis afflicta, Adela absterrita ab auferendo sacro corpore, quod pluribus

signis clarescens, solenniter elevatur, & in theca venerationi exponitur.

Duce a igitur præstantissimo cum invictissimis athleticis intra sacras ædes interempto, eodemque sacrario occisorum cruore non jam violato, [Parricidæ basilicam diripiunt.] imo iterato, ut credi fas est, consecrato; profanorum cuneus, non tam atria regalia, quam & ipsa angulatim perscrutatur sacraria, nuper imposita diripiens, & pridem admissa & habita, longiusque conservata non relinquens; ut quæ sacris detrahebant altaribus, ornandis inter se partirentur muribus, atque illud propheticum etiam litteraliter impleretur: Dispersi sunt lapides sanctuarii, in capite omnium platearum. Dehinc regiæ sedis locum circumquaque curiose perlustrantes, & ne quis regiæ stirpis, utpote sceleris ultor, superstes relinqueretur, provide præcavere cupientes, Benedictum jam pretiosi tam Martyris, quam & Regis fratrem germanum, collegamque certaminum ab investigantibus adhuc supervivere, & quam proximo servatum hospitio, cognoscunt adesse.

[62] Quo præcipiti catervatim cursu irruentes & regium Juvenem inventum, [Benedictum Canuti germanum pedibus raptatum, trucidant.] vulneribus admodum saucium, quod dictu nefas est, pedibus extrahentes in medium impietatis suæ conventiculum admittunt, ut secundum Apostoli dictum, spectaculum mundo mundique Principis administratoribus efficeretur, & per eos omne ministerium iniquitatis perficeretur. Cumque quo modo, vel quali eum morte perderent pertractarent, jam veluti venatoribus, de raptu dissidentibus, membratim distrahunt etiam semivivum, ut nihil crudelitatis imperfectum relinquerent. Lanceis alii nobile corpus terræ affigunt, quidam securibus, nonnulli gladiis imperunt; & ut nullus profani sceleris expers existeret,

quod quisque manu proximum arripuerat, adducunt, & mille vulneribus vita exemptum, ac minutatim per membra secatum relinquunt; atrocitatis suæ infamiam cumulantes, & orbi universo sese detestabiles perpetuo efficientes. Ut enim Rex propheticus protestatur; Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis, quia non erat in eis bonum faciens, vel impie agentes coërcere satagens; sed ob immanitatem avaritiæ, crudelitatis simul, & malitiæ, velut sepulcrum patens erat guttur eorum: linguis quippe suis dolose agebant, & venenum aspidum sub labiis eorum.

[63] [Nova in parricidas invectiva.] Et quomodo os eorum maledictione & amaritudine plenum non erat, qui quos poterant ad complicium sceleris sui invitabant, & ipsi pessima quæque & nefaria proficiebant? Ad effundendum vero innocentem sanguinem non tam pedes veloces, quam & manus exhibent procaces, Deum quidem cognoscentes, sed nec ejus judicia metuentes, nec eum invocare curantes; sed quos venerari, illo jubente, ac metuere deberent, impiæ atrocitatis ingluvie, ut escam panis devorantes. Averterunt enim tam sensus quam & oculos, ne viderent cælum, & ne recordarentur judiciorum justorum. Illic quippe trepidaverunt timore, ubi non erat timor; timentes namque ne quempiam pravitatis suæ superstitem correctorem relinquendo, aut a Deo superimpositæ potestati obaudiendo, vel subjecti manendo, reliquis per circuitum nationibus æquarentur, ac per hoc quasi pristinæ libertatis exsortes efficerentur; dum nec divinis institutis cedere, nec regiæ potestati obtemperare, sed ceteris potiores & præstantiores audacia simul & contumacia conantur gentibus existere; Deo execrabiles, orbi detestabiles, hominibus odiles, omnibus viliores & contemptibiles, ob peracti sceleris immanitatem efficiuntur, & ipsis summæ veritatis persecutoribus non impares adjudicantur. Idcirco contritio & infelicitas in viis eorum, quia a via pacis divertentes, &

divini respectus intuitum post terga, non præ obtutibus, ponentes, in Euangelicum scandalum inciderunt; pro eo quod vitia humanæ pravitatis potius exsequi quam relinquere maluerunt.

[64] [Dania multis plagis, ob cædem injustam, divininitus affecta.] Quis etenim illum falli posse hæsitare præsumat, qui servum scientem voluntatem Domini sui, & digna non facientem, plagis vapulandum quamplurimis denuntiat? Ex quo namque furoris sui rabiem vesana multitudo in Principem religiosum evomuit, ager frugibus sterilis, prata attenuantur herbis, silva glandibus rara, unda piscibus infecunda permansit: pestis armenta consumpsit: homines morbus debilitat: fames aggravat, nobiles ac locupletes attenuans, imbecilles exanimans, secundum illud Jeremiæ: Defecerunt in fame, in capite platearum. Et alibi; Devastata sunt horrea, dissipatæ sunt apothecæ. Regionem quoque universam hostium metu occupante, sexus uterque veluti jam jamque ingruentium adversariorum adventum indies suspicando, trepidabat; donec pretiositas interempti signis declarata divinis emicuit, & hostis virtutum deperiit; princepsque pacificus elementis, ut fateor, collætantibus, simulque faventibus, in regnum Deo provehente, surrexit. Sed hæc suis in locis plenius explicanda.

[65] [Sancti Conjugis sepulti corpus] Præmemoratis ergo sedatis tumultibus, & impietatis executoribus a templo divino simul & Deo recedentibus, clerus ibidem devotus, fidelibus aggregatis, humanitatis officio insistentes, cæsorum corpora curant, regia quidem membra germanique ipsius, infra basilicam certaminis ipsorum, in singulis oculis recondentes, gloriosorum militum cadavera in atrio ejusdem basilicæ angulo Occidentali simul & Aquilonali, in diem resurrectionis reservanda, terræ matri commendantes. Venerabilis vero Deo dilecti Regis & prudentissima conjux, inter pressuras

imminentes, animi nobilitatem vultu prætendens, & de se, situque suo admodum prospiciens, carissimi conjugis jam pretiosa membra a strepitu incursantium hactenus persecutorum eripere, & secum ad nativos sibi terminos, Gandavos scilicet, Blandiniensi cœnobio, Apostolorum Principi consecrato, advecta honore decenti disponebat recondere.

[66] Omnibus igitur dispositis & opportunis ad hæc peragenda utensilibus acquisitis, [regina Gandavum absportare conata,] basilicam, in qua jam nuper humatus servabatur; nocturna cum suis aggreditur, quæ proposuerat, perficere, ad locum, ut autumabat, eminentiorem corpus nobile desiderans advehere. Liminibus itaque reseratis illisque introgressis ante mediam fere noctis horam; lux emissa cœlitus omnes ecclesiæ angulos replevit, ac veluti meridiani solis splendore tam atrium quam & vicina quæque clarissime perlustravit. Metus quoque non minimus Reginam venerabilem, comitesque ipsius perculit, & ne propositis insisterent accrescentis splendoris admiratione simul ac pavore detinuit. Cuncta enim disponentis providentia, quæ locum eundem pretiositate martyrii ejus insigniri decreverat, patrocinio illius orbari, talibus ostensis indiciis, non sinebat.

[67] Porro Regina prudentissima, sagaci industria divina perpendens magnalia, [luce cœlesti deterretur.] licet tanti conjugis mæsta maneret dissidio; tam perspicui tamen prodigii gratulatur indicio, jam se confidens advocatum apud Deum habere, cujus hoc sanctitatis signum intelligebat existere. Divinis itaque virtutibus cedens, & misericordiæ sempiternæ debitas, vultu demisso grates jam cernua reddens, læta simul & anxia Conjugis ad tumulum nobilis prosternitur ipsa, Crebris profusis perfundens fletibus humum, Commendans summo

**se precibus Domino, Et sua cuncta pium poscens
disponere Christum**

**Lacrymis quoque ibidem largiter profusis, & gaudio
mærore mixto perfusa surrexit:**

***Ac cruce sacrata pariter sacrisque verendis
decliva facie genibusque sæpius flexis, resalutatis;
Multa diu secum prudenti corde revolvens;
Atque sui cari carissima pignora linquens,
Præsentia tandem, non mente recessit.***

**[68] Requievit autem Rex Deo dilectus Canutus & martyr
egregius eodem in loco annis bis quaternis & mensibus
fere ter trinis, Olavo regni ejus successore imperante:
usque dum crebrescentibus virtutum miraculis, communi
consilio & pari voto cleri totius & populi, singulis
Pontificibus cum multitudine cleri aggregatis ex humi
mole sustollitur & ad basilicam Australem, insigni lapideo
tabulatu a fundamentis erectam, sed nondum penitus
constructam, nunc vero postmodum ejus nomini
consecratam solenniter advehitur: ibique saxeo
sarcophago impositus, in crypta reconditur.**

**[69] [Olavi famelici obitus, & Erii felicioris successio.] Illo
autem e terra levato, evidentibusque signis eum Dei
sanctum fore, declarato, Rex Olavus, quem ejus regni
successorem prædiximus, quo etiam regnante fames &
pestilentia, morbus, & hostium metus Daciæ terminos
occupaverat, ægritudine tactus, veluti virtutum non
electus inspector, vita simul & regno excessit: protinusque
totius exercitus electione & populi acclamatione,
præstantissimus Ericus, Deo provehente, elementisque
faventibus, ad regni jura conscendit, & totius Daciæ
principatum pari omnium voluntate atque monarchiam
obtinet: moxque eo ad imperium evecto, utpote conversis
temporibus, copia frugum arridebat, rerum opulentia**

exuberabat, pacis securitas, ut Salomonis quondam temporibus, universos exhilarabat: quia & ipse Regibus per circuitum ac potentibus prudentia strenuus & consilio providus apparebat.

[70] [Plurimis ad S. Canuti corpus crebrescentibus signis,] His ergo temporibus pacis securitate, veluti opportunitate concessa, divina ad pretiosa Martyris pignora crebrescunt magnalia, & militis sui præconia superni Regis indies adauget potentia. Cæcis namque visus redditur, surdis auditus restituitur, mutis lingua resolvitur, manus arefactæ restituntur, debiliū gressus reparatur, Lazarica cutis emundatur, & omnibus, opem in nomine Jesu petentibus, sanitatis pariter & cælestis clementiæ auxilia conferuntur. Fama autem virtutum latius diffusa, confluit undecumque multitudo fidelium ejus exorare suffragium: ut quem irritaverant persequendo, ejus patrociniū juvarentur, sceleris commissi veniam devotione fidei expetendo.

[71] [Ericus Pontifici supplicat pro canonizatione fratris,] Rex vero prudentissimus, utilitati publicæ providens, legatis ad Pontificem Romanum transmissis, gestorum facta innotescit, & ut devotioni fidelium auctoritate Apostolica consulat, deprecatur. Qui Episcopis per circuitum consistentibus aggregatis, religiosique ordinis viris venerandis quamplurimis, omnibus synodali more assidentibus, & quæ Dei sunt tractantibus, silentio indicto, legatis ut jussa denuntient, ac simul legationis suæ signa demonstrant, mandat. Rerum igitur gestarum apicibus in palam prolatis atque perlectis, regiisque mandatis ab internuntiis facunde peroratis, immensas Omnipotenti grates exsolvunt, qui in diversis mundi partibus electos suos glorificando manifestat.

[72] [qui in album SS. Martyrum refertur: & pro Cnut Canutus appellatur.] Ac ita demum communi consilio &

pari omnium decreto, Regem quondam gloriosum beatorum in cælis jam Martyrum adscisci decernunt collegio, cum martyrii gloria nominis etiam dignitate adaucta, ut qui pridem veluti vocabulo imperfecto & ligamine insoluto, Cnut nuncupabatur, jam ob sensus caniciem & gestorum maturitatem, ac pro eo quam maxime, quod jam in canone Sanctorum connumerandus adjudicabatur, Canutus diceretur. Sic enim quondam Abrahæ cum Deo fœdus ineuntis, cum divinæ familiaritatis participio vocabuli adaugetur edictio, ut qui hactenus Deo cognitus, fide probabilis habebatur, ex hoc etiam inter homines rerum gestarum exercitio & generis ac nominis amplificatione, gloriosior ac magnificentior haberetur. Et pulchre martyr pretiosus ac Deo dilectus Canutus, adinstar Abrahæ, vocabuli amplificatione insignitur, qui ejusdem Abrahæ sinu exceptus, æternæ quietis felicitate perfrui evidentibus signis approbatur.

[73] Legati ergo Pontificali auctoritate roborati, & tantorum ac tot illustrium virorum testimonio pariter confortati, [Reducibus ex Urbe Erici legatis in Daniam,] beatissimi Petri Sanctorumque patroniciis, prout desideraverant adoratis, atque a Pontifice mandatis glorioso Regi deferendis exceptis, Apostolica tandem benedictione condonata, Ausoniæ terminos lætabundi excedunt; beati jam indubitanter Canuti meritis prosequentibus, ac prosperum illis iter ubique conservantibus. Desideratas autem Daciæ partes ingressi, & quousque ad propria devenirent, a singulis affectuose ubicumque suscepti, regiam majestatem vultibus honorantes & ore salutantes, Apostolicæ Benedictionis verba intimant, mandata denuntiant, & quæ de impositis responsa perceperint, lætabundi perorant. Super quæ magnificentissimus Heros abundantissime exhilaratus, magnates quique lætificati, Pontifices cum clero gratulati, plebs universa, veluti novæ pacis adnuntiatoribus advenientibus, summa exultatione

congaudet, universorum opificem devotione extollens assidua, qui etiam in remotis orbis partibus talia suis fidelibus patrocina divina providit clementia.

[74] Exhinc dejecta & confusa incredulitate infidelium, [celebrior redditur S. Canuti cultus, & ad ejus sepulcrum concursus.] & erecta atque adducta religiositate fidelium, basilicæ ejus dicandæ martyrio construuntur, prædia condonantur, usibus apta sacris adhibentur: ut quemadmodum ad necem Principis religiosi, pari conspiraverant consilio; ita jam communi universorum locis in singulis devotionis frequentaretur obsequio. Relatu quoque virtutum ipsius ac Apostolicæ exinde confirmationis corroboratione latius pervolitante, non modo e vicinio, verum ex regionibus circumjacentibus, nobilium sicut & populi annuatim innumera multitudo, devotionis suæ quique signa deferentes, ejusque suffragia fideliter deposcentes.

[75] Regina etiam Ethela prudentissima, ejus hactenus, [Adela Rogerio Apuliæ nupta, munera mittit ad sepulchrum S. Canuti, prioris sui mariti.] ut prætulimus, conjux nobilissima, jam ultra Italiæ terminos Rogerii Apuliensis Ducis Illustrissimi thalami comes effecta, tantis, & adeo desideratis de carissimo quondam conjugæ rumoribus auditis, superno bonorum auctori debita referens, pretiosa dilecti sui pignora, pretiosis transmissis donis adornat; ut cui hic conjugii pudicis affectibus decenter inhæserat, eum jam a seculo sequestratum, ac superis associatum, & mente recoleret & quem præsentia non poterat, muneribus transmissis decentibus, honoraret. Unde ex collatis & conservatis, Regis imperio, & Reverendi ejusdem Sedis Pontificis Humbaldi consilio simul & adminiculo,

*Ossibus arca sacris insigni schemate facta
Conficitur, puro nitidi fulvique metallo,*

*Cæruleis, croceis, pulchre decorata lapillis,
Quo possent Sancti jam pignora sancta recondi.*

[76] Anno autem sexto imperii magnifici Regis Erici, congregatis universis Daciæ Pontificibus, [Solennis reliquiarum in novam lipsanothecam translatio, & Sancti epitaphium.] cum multitudine cleri & terræ populo innumerabili, pretiosas beati Martyris reliquias ex saxeo sarcophago exsumptas, atque e crypta, ubi hactenus servabantur, evectas, solennibus laudibus & ingenti lætitia universis comitantibus, ab eodem, quem præfati sumus, Pontifice Humbaldo XIII Kalend. Maii, eadem qua prædiximus arca, oculis peccatores nos inspeximus impositas, & ad instar nivis candidas, & serico decenti involutas, epitaphio simul imposito, hoc modo composito:

*Jam cælo tutus summo cum Rege Canutus,
Martyr in aurata Rex atque reconditur arca:
Qui pro justitiæ factis occisus inique,
Ut Christum vita, sic morte fatetur in ipsa:
Traditus a proprio, sicut Deus ipse ministro,
Et petiens potum telorum pertulit ictum:
Lancea necne latus ut Christi perforat ejus.
Ejus oh & ante sacram sanguis sacer effluit aram.
Spiritusque sacris moriens satiatur in astris.*

Ossibus itaque sacris ejusdemque apicibus decenter collocatis, cælestis thesauri pretiosus locus recluditur, & omnibus ejus patrocinia requirentibus mensa vitalis convivii spectanda superponitur: dehincque ibidem virtutum perficiuntur insignia, & præsentibus perspicua, & opem exquirendo, petentibus efficiuntur probabilia.

[77] [Epilogus auctoris,] Hæc ego sacerdotum infimus Ailnothus, Anglorum orbe editus, & Daciæ partibus annis numerosis peregrinatus, tibi Rex præclare & Martyr pretiose, tua exarando gesta dictavi, certaminum tuorum

conflictus posterum memoriae tradendo composui, & pulchrum, ut dicitur, hominem pictor ego foedus depinxi, monumentum aere perennius exegi, quod non fluctuum impetus absorbeat, non flamma vorax absumat, sed ad chaos ultimum usque permaneat, & tuae laudis in seculum monumenta retineat.

[78] Tu infelicitati meae apud Jesum precibus succurre, [quo praecipue S. Canutum invocat.] calamitatibus miserere, angustiarum miserias releva, imbecillitatem sustenta, fragilitatem alleva, crassa criminum caligine circumfusum, virtutum tuarum splendoribus illustra, sarcina admissorum jam jamque sub onusta decidentem, molibus peccaminum aggravatum erige, ab Evangelicis latronibus saucio ac semivivo relicto, miserationis opem admitte, cicatricum plagas antidoto intercessionis tuae infuso, obducito; vitiorum putredines expurga, ad stabulum divinae reconciliationis inducito, ut in tabernacula quantulumcumque intromissus aeterna, te cum tuis concivibus conspicere, & ad januam regni vel ultimus merear assistere. Et quia de nitido fuscus, de mundo spurcus eloqui sum aggressus, linguae procaci indulge, labiis audacibus ignosce, & Verbo, per quod omnia sunt condita, cunctos fideles reconcilia, cujus majestatis potentia non desistit in saecula. Illi cum Patre & coaeterno Pneumate benedictio, honor, laus, & gratiarum actio sempiterno maneat & accrescat tempore. Amen.